



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiquo Veroque Eius Insvlae Qvam
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

Aurelius, Cornelius

Antverpiæ, 1586

Cornelii Avrelii Epistolae aliquot.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38123

CORNELIVS AVRELIVS,

AD SVAM BATAVIAM.

PLAUDE tibi nitidis suffulta Batauia fatis,
 Et varia superum dore superba, cane.
 Vix locus in mundo est, quem non tua gloria tangat,
 Roma tua extollit praelia, & Orbis herus.
 Ausoniis hostes admis; Hierosolyma per te
 Excisa est; Anglos te duce Caesar habet.
 Germanos placido Gallosque favore tenebas
 Sub fidei officio Romulidumque iugo.
 Te Bonna agnouit, Damiatam stupefcit, Arabsque,
 Et Tartesiaci fortia regna soli.
 At quum tanta potes terraque marique, dolendum est
 Vt minuat laudem Gelria sola tuam.
 Ergone visa tui est secordia tanta Senatus,
 Robur vt antiquum fluxerit omne tibi?
 Eloquar; atque vti nam patria sim falsus aruspex,
 Concidis ipsa tuis, o mea terra, bonis.
 Auro animum perdis, quem ferro atque ense fouebas,
 Tunc aderant vires; nunc gula abegit eas.
 (Proh scelus) ingluuies, turpis Venus, atq; superbum,
 Ambitioque furens abstulit omne decus.
 Ab tandem resipisce precor, pudeatque malorum,
 Pristinus vt redeat cum pietate vigor.

Aurelius ad suam Batauiam.

Dulce solum natale Vale. tua praelia gessi,
 Nunc galeam abiicio. Quisquis amicus, ouet.

NOBILI

79

NOBILI ET INGENVO
VIRO, IOHANNI DE
HEEMSTEDE, DOMINO
LIESVELDIAE, CORNELIUS
AVRELIUS S. D.

LAURVS quam mihi Imperator Maxi-
milianus per oratorem suum, Vatem-
que clarissimum Stephanum de Cracouia,
Iohannes vir nobilis & ingenue, ex domo
tua Liesveldiana olim milit; meritò mihi
persuadet, vt si quid mea vnquam valebit
poësis, tibi libenter communicem. Æquum
enim est & rationi consentaneum, vt ei mi-
nimè desim, ex cuius dominio nostræ mili-
tiæ auctoramentum nobis est transmissum.
Nostræ, inquam, militiæ, qua longè excel-
lentius militamus terræ principibus, nostris
carminibus & laudibus, quàm potentissimi
milites suis ensibus. Hi illis duntaxat peri-
turam adferunt victoriam; nos illis æternam
conflamus memoriam. Quamobrem prio-
ris seculi principes, præclaros secum ad præ-
lia ducebant poëtas, qui egregia ipsorum fa-
cinora inter tubarum clangores armorum-
que strepitus conscriberent, ne cum tempo-
re laberentur, quæ in tempore fiunt; sed po-
tius immortalitati redderentur, quam neq-
uitas

tas neque fatum consumere potest. Quoniam igitur par & iustum est, ut tibi omne id acceptum referam quidquid mihi honoris est palatio tuo per Cæsarem, quum ibidem hospitaretur, accessit: interea dum meritum carmen tibi concinno, hunc exiguum libellum tuo nomini peculiariter dicaui, quem tibi haud parum profuturum confido, qui plurimam habes familiam; ut cognoscas quid tibi foris, quid domi sit agendum.

Et quoniam diuersæ sunt hominibus viæ (nam hunc pecuniis & opibus studere videmus; illum ambitioni & potentia; alium voluptatibus omni cum diligentia inservire) ad Apostolicæ vitæ tramitem te gressus figere cupimus. Quod si feceris; nihil tibi ad bene beateque viuendum poterit deesse. Tota enim Christi vita quam Apostoli nos docuere, vnicum est ad veram beatitudinem iter. Hanc profectò si perfectè aspiciamus & imitari volumus; non erit cur Numæ Pompilij religionem, Scipionis pietatem, modestiam & fortitudinem Catonis, Reguli constantiam, Aristidis iustitiam, Fabricij & Curij paupertatem, sapientiam Socratis, Lælij clementiam, & Cæsaris benignitatem requiramus. Nihil enim (ut verum fatear) excogitari potest ad benè beateque

teq; viuendum, quod non in Christi Euan-
geliis, vtpote diuinitus scriptis, melius & fa-
lubrius quàm in profanis literis inueniatur.
Delicatus siquidem & suauis est cibus &
virtuosus qui ex sacrarum lectione scriptura-
rum percipitur. Vnde Dominus ad Satha-
nam dicit; Non in solo pane viuit homo, sed
in omni verbo quod procedit de ore Dei;
siue humana, siue diuina contemplari velis.
Sed quoniam plerumque fit in studiis lite-
rarum, quod in cibo solet, vt delectetur gu-
stus epularum varietate: omnia Gentilium
scripta veluti pro secunda mensa tibi inter-
dum, non secus atque bellaria apponi non
prohibeam. vt quadam rerum vicissitudine
tuus delectetur animus & permulceatur. At
inter omnia tibi adnitendum est ne vnquam
otio torpeas. Non enim ad segnitiam & de-
fidiam nascimur, sed ad maximarum rerum
atque admirabilium cognitionem. Nam ea-
demum ratione anima corpori insita est, vt
cum eo veluti cane venatico difficilium no-
titiam & virtutes venetur. Quare nunquam
molestè quæso tuleris, studiorum cultu cor-
pus eneruari; modò mente ac animo ad
contemnendam mortem, ad tolerandos do-
lores, ad ferendas æquo animo calamitates
& temporum angustias, quæ humanum ge-
F nus in

nus in dies fatigant, constans reddaris ac strenuus; ita ut neque minis, neque pollicitationibus, neque blanditiis unquam adduci possis, ut à recto ac honesto discedas. Pleni sunt libri maiorum exemplis, quibus profectò ita ad virtutem inciteris, ut iam maiora tibi calcaria non desideres, nedum habere possis. Quapropter iniunctam Adæ poenitentiam salubriter obis (nā otia si tollas perire Cupidinis arcus) si nunc (ubi post diuina licebit, & tuarum rerum negotia) ad pilam, nunc ad discum, nunc ad arcum & sagittam te exercitaueris, non alicuius lucri aut temporalis commodi gratia, sed conseruandæ intuitu sanitatis. Ad labores enim, mi here, non ad delicias nascimur omnes. In vitam nanq. præsentem veluti in theatrum quoddam descendimus, & arenam; ubi nobis continuè cum Hercule contra Antheum, aliaque vitiorum monstra luctandum est: nec aliquid de virtute remittendum, si gloriam & præmia cupimus, quæ nobis interim vitam comparèt sempiternam. Plurimi sunt certè nobis circumquaque hostes, innumeri latrones, multiq. grassatores. quibus certè omnibus ea profectò mente obuiam est eundum, ut magis cupias fortiter mori, quàm vel ignauia vel desperationi cedere.

Propterea

Propterea leguntur in historiis, quinimo & in atriis atq. scenis recitantur Iason & Theseus sibi periculosos in vita labores delegisse, quibus nimirum bene de humano genere meriti gloriæ consulere sua. Ita & nobis virtutum studiis est insistendum, quibus præmium non fragile & caducum, sed immortale atq. perpetuum apud Altissimum iam reseruat. Canere præterea fidibus carmina ipso in bello poëtæ solebant, quo animos militum audita maiorum laude ad bene de patria promerendum adhortarentur. Ea etiam de re annales & historiæ diligenter asseruantur, vt habeant reges & populi vnde calcaria ad virtutem & ad fortiter agendum sumant; ne æstu & frigore, ne vigiliâ & labore, ne fame & siti perterriti, rebus suis publicis in grauib. periculis aut deesse, aut minus consulere videantur. Quem enim, obsecro, animum, (vt omissis veteribus ad nostros veniam) non excitat ad virtutem Apostolorum penuria, martyrum constantia, Confessorum sobrietas, & castitas virginum? Quicumque igitur horum prouocatus exemplis, vitiorum agmina, gula scilicet, fastus, & iræ, luxus & auaritiæ in nos continuò irruentia, constanter propulsat, quique animi passiones, spem, metum,

eristitiam, inanemque lætitiã à se, ne dominantur, procul repellit; is propè Deo similis, quoad fieri potest, prorsus euadit. Ad hoc enim nos literis & philosophiæ addicimus; vt constanter & cum virtute per sanctorum exempla viuere discamus. Vt enim ad sananda agrotantium corpora inuentam nouimus Medicinam: ita & diuinarum humanarumque rerum præcepta, quæ nobis à Christo & uiris apostolicis tradita sunt, animorum nostrorum morbis ac perturbationibus mederi facillè præualent. Hæc quippe Domini nostri philosophia, est vnica omnium mater & alitrix artium, & præcipuum, iuxta Platonem, Dei donum, electaque animi cultura, quæ vitia è mentibus hominum radicitus euellit, & omnes actus humanos ad bonorum habitus præparat. Nempe vt ager sine cultura vepribus syluescit & infructuosus est: ita & sine doctrina ac literarum studio animus. His enim laborem impendere, sanè quàm & liberale est, & libero homine dignum. Cetera verò studia, & pusilla & prope puerilia nobis videri debent. Euangelica siquidem lectio, bonorum malorumque delectum præstat; hæc Christi exemplo superbum esse vetat, auarum, procacem, intemperantem, contumacem, perfidum

perfidum & mendacem. Præterea pietatem docet & religionem, gratiam, humanitatem, misericordiam, hospitalitatem; virtutem denique omnem, & quid quouis in tempore sit agendum; quæve ratione futuris præterita sint annectenda; nec non quæcunque vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta sunt; quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ in Christi Euangelio sacrisque codicibus inuenitur. Porro quanquam hominem quatuor ex elementis constare nemo est qui ambigat; tamen nisi quintam ei adieceris essentiam (intellectum dico) prorsus à bestiis distabit nihil; nec merito dignus est vt homo appelletur. Quatuor enim illa quæ diximus, sunt nobis certè cum omnibus bestiis communia. hoc autem solo quo intelligimus, ratiocinamur, seu rerum antecessiones ac progressus non ignoramus, ab iisdem dumtaxat differimus: iam prope modum separatis essentiis eatenus facti persimiles, quatenus nobis per naturæ imbecillitatem licere videtur. Igitur si tanti est sapere (nam quod viuis, natura; quod bene viuis, scientia tibi præstat) summopere tibi aduigilandum, mi here, vt diuinis te occupes literis, omnemque inertiam tamquam

humani generis perniciem assiduè fugias. Quare velim, vbi post curam licebit domesticam, Euangelium Christi, & Apostolorum epistolæ versentur in manu; Psalterium & Cantica David fidelia rumentur in pectore. Hæc omnia procul dubio longè superant Philosophorum documenta; hæc quæ salutis sunt, edocent, mores componunt, errores castigant, & in viam rectam qua in patriam tenditur, hominem deducunt. At verò, quod magnopere deestendum est, vbi que nobis hoc usu venire solet, vt magis leuibus quàm seriis insistamus rebus. Euangelium Christi, etsi adest, vix tamen euoluitur: imò iam ipse codex longo situ obuolutus negligitur. Proh dolor! Legimus Alexandrum Macedonum regem, imò totius orbis imperatorem, quum inter spolia Darij & thesauros, quem regno priuarat & vita, cistella quædam preciosissima ei offerretur, & complures qui tum aderant principes dicerent eam ad seruandas smaragdos saphirosque aptissimam; mox illum respondisse, nihil in ea commodius & honestius reponendum, quàm Homeri Iliadem. Si igitur tantus rex tanti æstimauit viri gentilis carmina, quòd ex eis multa perciperet quæ bellicam iuuarent virtutem; quum
Achillis,

Achillis, Agamemnonis, Hectoris, Nestoris, Vlyssis, ceterorumque heroum res sapientissimè gestas ad imitandum legeret: quanta nos Christiani cum reuerentia Christi verba legere, & lecta in opera vertere debemus? Hic est liber Euangelij, per quem Barnabas Apostolus mortuos suscitauit, dæmones expulit, morbos curauit, fulmina contriuit. Hic liber quadruplices habet literas. Aureæ quidem sunt cælestium rerum cum terrenis affinia & comparationes. Rubæ, passionis Christi mysteria & lectiones. Nigræ, pœnarum inferni supplicia & comminationes. Albæ verò sunt pœnitentium remedia & consolationes. Hic est, inquam, liber de quo apud Ezechielem Prophetam ita legimus: Ecce manus missa ad me, in qua erat liber inuolutus, scriptus intus & foris. Et scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & vix. Manus ista, mi here suauissime, vniuersitatem illorum qui sacre scripturæ librum, id est, Vetus & Nouum testamentum conscripsere, significat. Præterea manus ista quinque habet digitos, hoc est, quinque personarum genera; Patriarchas scilicet & Iudices, Prophetas, Apostolos, & Euangelistas. Inter horum digitos est liber iste inuolutus, multisque mysteriis

F 4 implicatus.

88 CORNELII AVRELII EPIST.
implicatus. intus habens mysticorum scri-
pturam; foris autem simplicem rerum ge-
starum historiam; continet lamentationes
pœnitentium peccatorum, carmen trium-
phantium beatorum, & Væ desperantium
damnatorum. Hunc librum tu cum Pro-
pheta comede, & fiet in ore tuo sicut mel
dulcis. Aperi ostuum, & cibabit te Domi-
nus volumine isto; qui te tuosque omnes cu-
stodiat semper & conseruet ab omni malo.
Vale. Tuus Aurelius. In agro Dunceno.

ILLVSTRI

I L L V S T R I A C
 G E N E R O S O C O M I T I A C
 D O M I N O , H E N R I C O
 C O M I T I A N A S S A V , S E R^{mi},
ac potentissimi Caroli Regis Catholici in Hollandia
vicario, CORN. AVRELIVS, S. D.

*

Decet principium.

ET quid interim oculos huc illucque ver-
 timus? quandiu inter sacrum & saxum
 hæremus? Cur vtrò nostram profiteri diffe-
 rimus insufficientiam? Si enim omnia quæ
 mundus habet preciosa tibi Comes inclyte
 offerēdi nobis adesset facultas; longè tamen
 inferiora tuis in nos meritis meritò cense-
 rentur. Tanta enim nobis & Patriæ præsti-
 tisti, vt si totum vitæ nostræ tempus in tua
 occuparetur obsequia, non possemus cum
 sancto illo Iob in sua restituto, vel vno pro
 mille respondere, neque in eo quod tibi de-
 bemus par pari referre, neque in minimo
 compensare. At plurimum nos interea con-
 solatur Aurelius Augustinus pater noster,
 nostræque militiæ princeps, qui planè confi-
 tetur, numquam ante Opt. Max. Dei ocu-
 los vacuam esse manum à munere, si circa
 pectoris sedem repleta est bona voluntate.
 Ergone debemus omittere quod possumus;

F s quando-

quandoquidem id quod debemus minimè
possumus? Absit. Nobisenim piissimum sal-
tem affectum, & locupletissimam volunta-
tem, dum res non suppetunt, conuenit ape-
rire. Virtutem itaque tuam & meritum,
Generose Comes, prædicare quidem atque
extollere, sed nulla rerum facultate possu-
mus remunerare. Quapropter quod manus
nostra minimè præualet, ipsum certè oris
nostri officium offerre non prætermittet.
Dignum est enim & rationi consentaneum,
vt vel ex fructu laborum ipse laudem acci-
piat, quem rerum gestarum dignitas cunctis
commendat. Moderatrix quippe omnium
rerum censuit antiquitas, vt dignum laboris
sui precium accipiat, qui publicis vtilitatibus
inseruire non detrectat. Paramus itaque vir-
tuti tuæ quantum maximè possumus; daturi
amplius si potuissemus. non vtique ista tem-
poralia, quæ temporis morbo deficiunt; sed
ære perennius monimētum, quod nulla vn-
quam obliteret ætas, nullus absorbeat ignis,
nullum denique seculum absumat. Quo-
circa ne nihil pro nostra tenuitate tam fideli
patrono & conseruatori nostro dedisse vi-
deamur: offerimus tibi, magnifice Comes,
hoc tenue carmen tuo dicatum nomini,
quod te apud posteros immortalem prope
efficiat.

efficiat. cui profectò Ægypti pyramides, Apellis tabulæ, & Lysippi marmora facile cogantur cedere. Omnia quippe stemmata, ceras & imagines, inciso sc̄q. in æ titulos producta annorum series, obiter demolitur. Sola scriptorū monumenta, ipsa etiam ætate, quæ suo morbo omnia debilitat, fortius inualescunt. Nec mirum cuipiam videri debet, vel tantillo te à nobis remunerari beneficio, cui etiam & nos & omnia nostra meritò debemus. Nam quòd cōmodum viuimus, quòd rem domesticam familiaremque saluam tenemus, quòd deniq. peregrinas in sedes dispersi non sumus, id omne tibi vni atq. adeo vni adscribimus; præter te nullum aliū, post Deū; nostræ salutis habemus authorem. Tuo vnus auxilio seruati sumus; qui & nobis alter factus es Iudas Machabæus, dum non solum Augusti castrum, sed & * Augustini ^{+ Hen-} claustrum tuo gladio protexisti. Te itaque ^{donck.} meritò Henrice nobiscum omnes maximo Reipublicæ præsidio sentiunt, & perenni in posterum memoria tenebunt. Atque utinam tua certè præsentia vultuq; honorando nobis aliquando frui liceret; videres procul dubio omniū nostrum in te vota propendere, gliscere desideria, & singulorū pectora tibi esse deditissima. Vale nostræ decus Batauiæ.

G E N E-

GENEROSO MILITI
 DOMINO IACOBO DE
 LOCHORSTA, PRÆTORI
 LEYDENSI, CORN. AVRELIUS,
 S. D.

QVANDO QUIDEM tua benevolentia nihil omnium mihi certius esse persuasum habeo; audeo vir ingenue Iacobe de Lochorsta literas ad te nostras mittere, & hoc opusculum tuo nomini peculiariter dicare. Dignum enim esse arbitror, ut qui à Carolo rege Catholico, nostroque principe, militaris gloriæ insignia accepisti, eius etiam vicario quem nostris præfecit in oris, sincerissimè, pro victoria quam apud Nouiopotum strenuè confecit, gratuleris. Ad hoc siquidem & tuæ probitatis indicium, & sacræ imitationis prouocare debet exemplum. Leges igitur in hoc carmine quid tibi & ciuibus; quid patriæ debeas & superis. Præterea quantis sit laudibus ille celebrandus qui publica priuatis antepone non grauat. Idcirco enim præclara proborum hominum recitantur facinora, ut posteris ea studeant imitari, & eorum exemplis ad virtutis cultum excitentur. Ita enim olim Fabius Periclem; Portius Cato Curium; ita
 Cæsar

Cæsar Alexandrum; Brutus Iunium Gentilem imitatus, maximas quasque res gessisse memoratur. Nam ut olim industriis pictoribus ex Olympio Ioue Phidix, & sculptoribus ex Argolica Iunone Polycleti tanquam à veris archetypis effingere quippiam licuit: ita & tibi miles inclyte, & reliquis omnibus qui hæc attentè legent, eximium quoddam & præclarum virtutis monumentum licebit elicere. Quapropter, qui iam idem & militari & pratorio munere in Rhenanos apud Leidas ab eodem principe es sublimatus, incumbit tibi quàm maximè, modò in rem ciuilem modò militarem animum intendere. Nam quemadmodum, iuxta Peripateticos, animus noster duabus potissimum virtutibus illustratur; quarum altera, quæ sequenda sunt sequitur; altera, vitanda vitat: ita & rector siue præses duobus sit ornatus prudentiæ generibus necesse est. Rogas quibus? Legum positiuo, quod aiunt, & militari. quòd illo, quæ ciuibus sequenda sunt & fugienda, ingenuè noscit: isto, hostem fugat, & seditiones compescit. His itaque, mi Gerarde, præmonitus institutis, ita iustitiæ trutinam & lancem seruare curato, ut in omnibus & tuo honori probè consulere, & ciuibus semper adesse videaris. Postremò te hortor,

hortor,

hortor, si tamen dignus & quidem is sum quem beniuolè audias, vt omnia gubernes & moderere prudentia, nec te tibi prauorum auferre finas consilia. Genitoris tui, quicum non inurbana nobis olim familiaritas fuit, te simillimum præbe. Is enim sese, dum in humanis ageret, in maxima constitutum voluptate arbitrabatur, quando cum optimis quibusq. viris quorum doctrina atque prudentia & ipse doctus pariter & prudens fieri posset, versaretur. Hæc vt audeam tibi persuadere & ad scribendum me ingere, meus in te candidissimus induxit amor, vt tuus ille patruelis, imò & pater, Reuerendus inquam dominus & vir ingenuus D. Hermânus de Lochorsta, gratiosissimi Domini Traiectensis vicarius, & S. Saluatoris decanus. Huius enim pientissimæ dignationi suorumque omnium claritudini meritò & me & ingenium omne debeo: qui est vel vnus omnium dulce decus meum, vitæque præsidium & alter Mæcenas cui vt me totum in tempore commendes, oro quamplurimum. Vale.

DOMINO

95

DOMINO IOHANNI
BANNINGO CONSULI
HAGENSIS CVRIÆ MEO
MAECENATI OBSERVANDIS-
SIMO CORN. AVRELIVS
S. D.

MAGNOPERE lætor & gaudeo, vir
Consultissime Iohannes Banninge,
omnia tandem tibi pro summa dignitate
accrescere, ac tuis fortunam optatis vel con-
tra spem gerere morem. primumque te (vt
coram aspexi) firma esse valetudine. dein-
de etsi non quas debeo, saltem quas possum
tibi gratias habeo, qui tantum in me beni-
volentiaẽ semper impendisti quantum ex-
plicare non valeo. Immortale enim ac pro-
pe diuinum tuis in me tuorumque officiis
debeo beneficium; qui tuo solius intuitu per
Dominum meum Reuerendissimum D.
Hermannum Lochorst vicarium gratiosis-
simi Traiectensis generalem, ab exilio ad
sedem propriam, & ab ingenti afflictione
ad portum salutis sum reuocatus. Quod
etsi nunquam dignis neque illi neque tibi
valeo remunerare obsequiis; vnum tamen
duntaxat mihi reliquum est, & in mea pote-
state, vt memoria illud recolam sempiterna.
Ego

Ego tamen interim non immerito nullum tui laudandi pro dotibus animi atque ingenij à Deo tibi collatis (fatebor ingenuè) locum prætermitto ; & quoad vires suppetunt, pauper dabo carmina vates. Carmen igitur hoc ad Hispaniarum regem Carolum prognosticum tuo nomini peculiariter dicatum iri volebam, sed non ab re neque temere, nisi mea me fallit sententia. Non enim facilè adduci possum, vt omnem illam veterem olim erga te gratiæ ducalis beneuolentiam (Philippum loquor) aut huic Carolo eius filio, aut per te aulicis eius compluribus, tum maximè Ioanni Syluagio Burgundiæ Cancellario, credam excidisse. Et quis eam rogo satis possit explicare serenitatem & gratiam, quam tibi, Domine Consul, piæ quondam recordationis archidux Philippus, pro suo in amicos candore præ multis & quidem inter multos exhibuit, quum ex Hispaniis rediens, patreque Maximiliano semper augusto in Germania visitato, per Lucemburgum Bruxellas peteret? Is enim quum iam nobilissimam Rethiorum ciuitatem properaret, teque inter innumerabilem populi turbam, quæ illi obuiam veniebat, curru sedens prospiceret, mox ab insperato, te tuo appellans nomine,

prior

prior salutauit & dixit; Eccum virum domine domine prætor Amstelredame Io. Banninge, ecce ipsum, quem tam sollicitè quæris atque videre desideras. O verè magnificentum & liberalem; ô verè amabilem & munificum principem; qui neque ambitu, neque itineris tædio victus, tam candidè sese offert amicis. Tum è vestigio te considerans equo in humum quanquam lutosam desilire, & chirothecas detrahere manibus adnitentem, vt ipsum digno cum honore & gaudio iam veluti reducem consalutares, omnino non permisit; sed te ocyus in oppidum subsequi iussit, familiarius cupiens tecum de rebus arduis commentari, cuius iam dudum fidem, pectus & obseruantiam toties in commissis tibi officiis expertus fuerat. ideoque ad maritimæ Gelriæ oppida gubernanda tuo in negotiis consilio, & tuo nihilominus in rebus gerendis vtebatur iudicio. Vnde & te Australem archimarinum & pelagi præfectum instituit, quòd tuam sibi haberet exploratissimam grauitatem, prudentiam, & iustitiam. Quod quidem officium quàm gnauiter administraueris, hostium capita palis affixa omnibus demonstrarunt. Cùm igitur mi domine Consul Iohannes Banninge tanta tibi fuerit apud

G

patrem

98 CORNELII AVRELII EPIST.
patrem Philippum gratia, merito Caroli hu-
ius, eius filij, Ducis nostri, & Hispaniarum
Regis præconia hoc in Prognostico breuiter
comprehensa tibi peculiariter statui conse-
crare. Ceterum quandoquidem frequen-
tibus ad diuersos principes & prælatos fun-
geris legationibus, quoddam propediem ti-
bi edam opusculum duobus distinctum li-
bellis: in quo varias & compendiosas colle-
gi oratiunculas, diuersos nobilium & Eccle-
siasticorum status concernentes, quibus vel
in eorum receptione, aut consalutatione, aut
promotione poteris uti. Me interea tibi
tuisque omnibus plurimum commendo.

CORN.

legum de rebus alijs committitur. Cuius
rationibus & opibus
locus committitur. Cuius
in theopha ad maritima. Cuius
demanda in in dogma conilio, de no-
litorum in rebus alijs. Cuius
co. Vnde de rebus alijs. Cuius
& de rebus alijs. Cuius
de rebus alijs. Cuius
de rebus alijs. Cuius
de rebus alijs. Cuius
de rebus alijs. Cuius
de rebus alijs. Cuius
de rebus alijs. Cuius
de rebus alijs. Cuius